13

DISPUTATIO MEDICA

De

# PTYALISMO,

Quam

Divini Numinis Auſpicio

*Authoritate & conſenſu Ampliſsimi Collegii Medici in Illuſtri EBERHARDINA,*

PRÆSIDE

*Viro Nobiliſſimo, Ampliſſimo, Experientiſſimo,*

DN. JOH. CUNRADO BROTBEQUIO,

Medicinæ Doctore ac Profeſſore in Inclyta Tubinga celeberrimo, Præceptore ac Patrono ſuo ſumma obſervantia colendo,

*Pro ſupremis in Medica Facultate honoribus & Privilegiis legitimè & ſolenniter impetrandis*

Publico ac ſolenni ſubmittit examini

JOH. ANDREAS GERHARDUS,
Tubing.

*Ad diem 20. Octobr.*

*TUBINGÆ,*

Typis JOHANN. HENRICI REISI,

ANNO M. DC. LXXI.



I. N. J.

# PROOEMIUM.

DE illuſtri illa aquarum humorumque in Macro & Microcoſmo ſeſe inter analogia, cum in Oratione Medicorum anniverſaria, Divoque Raphaeli Angelo ſacrâ, mihi quondam ſermo fuerit; Ejusdem illius, exempli loco, rivulum aliquem ex occluſis Microcoſmi faucibus ſcaturientem, *Salivam* puto, in pagellas haſce derivare, quidq; in humana proſit vel obſit Oeconomia perveſtigare, locoq; Diſputationis Inauguralis in præſens proponere, placuit. Huic autem in Macrocoſmo ſi quæramus analogũ quodpiam fluentum, nil commodius ſeſe nobis offert, ut tamen parva magnis componamus, quam celeberrimus ille, totque laudibus decantatus *Nilus*. Ut enim hic, ad juſtam circa ſolſtitium Æſtivale creſcendo menſuram, univerſam Ægyptum fœcunda beat alluvione, Saleque centrali, Sulphure & unctuoſo Mercurio prægnans, ſummam ſeminibus largitur fœcunditatem, deficiens contra, vel nimia aquarum mole adauctus, aut ſterilitatem, aut ſegetum inducit corruptionem. Ita & Microcoſmica illa oris unda, iisdem prægnans principiis, cibis, tanquam ſeminibus in alimoniam totius corporis noſtri deſtinatis, ſub certa ſeſe commiſcendo menſura, debitam in ventriculo maturitatem ut aſſequantur, procurat; dum in defectu contra, aut exceſſu ſi peccat,

coctioni maximè officit, eamque turbat. Quibus cum aliis deniqúe accedit nostri in utriusque vera origine exploranda seculi fœlicitas, cujus utramque inventionis historiam scire qui desiderat, *de Nili origine adeat Epist. P. Pais apud Ath. Kircher. in Mund. subterr. tom. 1. p. 72. & in Oedip. Ægyptiac. Syntag. 1. p. 48.* Nostri autem rivuli sat accuratè inquisitam originem, effectus, casusque varios, præcipuè *Ptyalismum*, apud Anatomicos atq; Medicos infra laudatos inveniet. Tu interim ô benignissime DEUS limpidissimis nos irriga veritatis, sapientiæque tuæ rivulis!

## Thesis I.

IN frontispicio tractationis nomen explicaturi, accedimus, 1. Ad *Etymologiam.* Vocatur à Græcis præsens affectus πτυαλισμὸς & σιαλισμὸς à πτυελύζειν & σιαλύζειν. h. e. πολλάκις πτύειν sæpius expuere, ut ipse *Pergamenus explicat Com. l. 1. proreth. 30.* Latinis Salivatio est à Saliva, h. e. sputo seroso. Saliva *Isidoro* à Sale dicitur, quod Salis saporem æmuletur, quem in statu p. n. aliquando manifestum esse uti non negamus; ita si sola peccet copia non ita facile deprehendi posse, utut Substantiæ Salinæ per naturam non sit expers secundum experimentum quotidianum ac *Stenonis in obs. de gland. or. p. 27.* asserimus. Aliis à Salio, quod in ore saliat, derivatur. Græcis est πτύσμα, σιαλὶς, σίαλος & σίαλον, hæc enim promiscuè usurpari, licet re differant ex *Gal.* monet *Sebiz in Manual. Pr. p. 2. Sect. 4. c. 47.* Quomodo verò differant sputum & saliva explicat *Dieteric. in jatr. Hipp. p. 1082.* Saliva enim communiter est ille liquor qui ex glandulis σιαλύχοις. & sine tussi vel exscreatione excernitur. Ex thorace verò cum tussi dicitur πτύσμα, sicut quod per glandulam pituitariam affluere dicitur μύξα & βλέννα seu mucus appellatur autoribus. 2. *Synonyma* sunt σιελυσμὸς, & πτυελισμὸς, Salivatus, Spuitio, Expuitio, quamvis Germani vix vocem aptam, qua reddant habeant, sed vocatur ipsis hæc actio, wann sie viel Speichel von sich geben/ oder Speichel-Kranckheit. 3. *Homonymiam* quod *concernit, Sputatio seu Salivatio notat.* 1. *Impropriè* & Tropicè rei

cè rei alicujus averſationem, deteſtationem, ut & contemptum, unde proverbialiter uſurpari conſuevit, de quo vid. *Eraſ. in Adag. & Baſil. Fabr. Theſ. Erud. Schol.* in verbo ſpuo. cui addimus ſputationem Pthiſicam, Pleuriticam &c. *Propriè* 2. loquendo denotat Sputationem latè vel ſtrictè, aut denique ſtrictiſſimo in ſenſu ſumptam. Sub *latiori* ſignificatione 1. Ponimus *Naturalem* & communem illã, aque objectis gratis prolectatam Salivationem, unde illud: Salivam h. e. guſtum aut appetitum movere, proverbiali ſermone enatum eſt; hæcque in brutis extillatoria, in homine ejectoria dici meretur. Cui 2. addimus *peculiarem* & idiocraticam illam, Nobilis cujusdam, ex *Thom. Bartholin. cent. 3 Hiſtor. Anat. 77.* quem, quotiescunque cibum ſumit, larga ſputatione laborare refert, extra tempus verô illud nihil, etiam inter loquendum expuere, quanquam liberalius quandoque amicorum in gratiam invitatus potu ſe ingurgitet. Nec 3. hic excludi poſſe videtur *conſuetudinalis* & familiaris illa quorundam inter loquendum expuitio ex *Sennert. l. 2. Pract. c. de Ptyalis. Strictè* verò ſic dicta involvit 1. *Artificialem* ſeu Medicam, vi Salivalium Medicamentorum excitatam. 2. *Criticam,* quæ ſub reſpectu debito, ſecundum & p. n. dicitur, ſalutaris tamen exiſtit. Tandem *ſtrictiſſimè* p. naturalis illa Salivatio mox definienda, quæque ſola hujus eſt ſcopi & loci, in medio nobis relinquitur.

II.

*Eſt autem Ptyaliſmus, ſeu Salivatio præter naturam, Salivæ in oris cavum per ductus ſalivales copioſius effuſæ, & facultatem expultricem irritantis, linguæ & labiorum ope præternaturalis, crebra atque involuntaria, ex ore ejectio ſive expuitio.*

*Generis* loco ſtat hic nobis ejectio latiori, vel expuitio ſtrictiori in ſenſu ſumpta. Eſtq; hæc remotè actio & quidem motoria, propius verò *expulſoria* animalis, Salivæ copioſioris aut ſimul aliter vitiatæ collectionem, productionemque præſupponens. *Præternaturalem* verò vocamus ratione cauſarum, effectuum, accidentiumque ſubſequentium, infra adducendorum. Imprimis autem *crebra* dicitur ob conjunctas ſæpiusque reiteratas ægroti ſumma cum moleſtia ſputationes. *Involuntariam* denique dicimus, quoniam per injuſſum ſpontaneumque materiæ illius affluxum, ad permoleſtam aliquando-

que noxiam expuitionem irritantur ægri; Quare ptyalifmus rectè inter Symptomata vacuationis auctæ, excretorumque vitia numerari debet. Atque hinc etiam, vel per folam hanc generis reftrictionem, à præmemoratis oris excretionibus hæc noftra Salivalis de facili difcernibilis eft.

III.

*Subjecti* feu partis affectæ loco ponimus hic oris cavitatem, cum lingua, genis, palato gingivis, dentibus, glandulisque adjacentibus, quatenus paffivè hic fefe habent, præterque naturam affliguntur, copiofam, nempe Salivam admittendo, fufcipiendoque, moleftias etiam ac noxas inde exortas fuftinendo, quales funt, tumores, dolores, ulcera, aliaque p. n. fefe nonnunquam affociantia. Totum verò corpus fi refpiciamus, maximè huc pertinent homines phlegmatici, melancholici, fplenetici, ferofi, quique Scorbutica labe funt infecti, fecundum placitum. *D. D. Balthafaris Metzgeri, Patroni ac Præceptori mei æternùm colendi in difp. 3. de fang. in circ. mot. th. 16.* Neque ex hoc cenfu excludendi funt infantes, ob nimiam humidi in corpufculo humido & tenello, principiaque adhuc fua redolente, abundantiam.

IV.

Expuitioni cum præter Subjectum, *Objectum* quoque debeatur, five materia quædam, ut ita loquar, expuibilis, *Salivam* ei deftinari patet; Cujus in præfens & *Defcriptionem*, ejusdemque ad morbum hunc *Applicationem* damus; eft autem ut de priori loquamur, juxta *Nic. Hoboken. in cog. med. Phyfiolog. p. 249. Anton. Lindan. in Melet. Med. p. 92. Gerh. Leonh. Blaf. in Med. gen. p. 63. &c.*

*Saliva in ftatu fecundum naturam nihil aliud, quam pituita, feu liquor humorque fpumofus, pellucidus, albicans, dulcis fubpinguis, nec non fubfalfus, ex fero maxime feu aqua multa, pauco fpiritu volatili & minimo Sale lixiviofo, cum pauco oleo ac fpiritu acido contemperatis conftans, qui caloris ope ex fanguine potiffimum arteriofo in glandulis maxillaribus genitus, fegregatus, faccatusque h. e. colatus, per ductus Salivales in oris cavum propellitur, humectationi, abluitioni, guftationi, mafticationi, deglutitioni, coctioni, ac fermentationi inferviens.*

V. Quo

V.

Quo autem hæc eo melius innotescant, sciendum 1. Salivam præter efficientes causas, pro *materia* sua non solum alimenta, sed & chylum & sanguinem, eumque præcipuè arteriosum agnoscere; cui succum aliis addere placet nervinum, de quo tamen cum nondum satis constet, ne cum *prælaudato Præceptore ac Patrono meo l. c.* ulcus hoc tangamus, in medio illum relinquimus. *Transmittunt* autem 2. materiam hanc vasa chylifera & lymphatica, cor, arteriæ, alia quidem horum primis ex viis, nonnulla ex venis visceribusque reliquis, nec non alia ex artubus advehentia sese prius replere solent, unde quod communicent, habere queant. Transmissum verò 3 humorem glandulæ *excipiunt* stomaticæ & Salivales, præcipuè verò conglomeratæ, maxillares & parotides, dehinc buccales, sublinguales ac palatinæ, quibus & tonsillæ sunt continuæ (quarum munus Salivæ præparatorium hodie aliqui volunt & statuunt) unde in has influxi, recepti retentique liquores in Salivalem alterantur convertunturque materiam. Generatus jam 4. Salivalis ille, inque se tenuis fluxilisque latex, *usum* suum nemini desiderantium sese partium invidens, porro per ductus Salivales, sive per vascula, & foraminula quæque sua, in omnes oris partes effusus sese diffundit; si quid verò reliqui fuerit, id vel per glandulas conglobatas, earumque vasa, vel per venas glandulis quibuscunque implanttas quasi resorptum, ad cor reducitur, vel sub sputi nomine ac forma per linguæ, genarum labiorumque complicationem, adsuctionem & impulsum quendam extra os eliminatur. Hæcque brevitatis ergò obiter delieneata sufficiant; plura qui velit, hauriat ea ex ipsis, unde & hæc hausta sunt, Anatomicis celeberrimorum virorum *Th. Bartholini, Th. Whartoni, Fr. Sylvii Fr. Glisson. J. ab Horne. Guil. Charleton. Nic. Stenonis, Gerh. Leonh. Blasii* aliorumque fontibus.

VI.

Explicationi huic de naturali Salivæ constitutione, succedit nunc ejusdem ad statum præternaturalem, in Ptyalismo nempe, *applicatio*, quæ tota in oppositis versatur terminis, estque triplex. Ætiologica, Semiotica & Practica. Quem ordinem obversaturi, accedimus 1. *ad causas*: Inter quas primũ locum damus *Salivæ copia, vel & aliis subinde modis peccanti*, quam gignunt aliæ, aliæ movent & ad influxum im-

 pellunt

pellunt causæ. Illæ sunt res vel Naturales, Nonnaturales, vel res Præternaturam.

VII.

Ad *Naturales* optimo jure referri possunt temperamentum frigidum & humidum, quale phlegmaticorum & suo modo melancholicorum. Ætas infantilis, Sexusque sequior &c.

VIII.

Succedunt ex *Nonnaturalibus* aëris & anni constitutiones Aquiloniæ, ob frigoris infensam & in destillationes promptam vim juxta *Hipp.5. Aph.24.* cumprimis verò flatus austrini.*3.Aph.5.17.* austrina enim ac pluviosa aëris constitutio, tum transpirationem impediendo, perq; inspirationem multas aqueas atomos communicando, uberem ptyalismo præbet materiam; ex qua causa Epidemicum factum fuisse Ptyalismum Anno 1565. apud Batavos refert *Forrest. l. 14. obs. 23.* qualem & in Italia ex peculiari quodam cœlesti influxu progeneratum suo tempore scribit *Bened. Veronens. l. 4. cap. 18.* Adjicimus hisce loca austro pervia, palustria, aquis australibus inter ortum & occasum Solis hybernum impuris & squalidis abundantia, nec non Septentrioni quodammodo ob frigoris alterantis vim exposita, quæ fusius & pensiculatius *Hipp.in lib.de aer.loc. & aq.* legenda exhibuit.

IX.

Hæc sequuntur *ingesta* ratione copiæ peccantia, ceu materia copiosior externa & remotissima, cibi horæi præprimis ab Hipp. dicti, aliique multam serosam humiditatem suppeditantes, ex quibus chylus aquosior, ex hoc sanguis serosior, exinde verò tandem ipsa superflua Saliva ortum suum ducit. Potus itidem nimis largus; quare Persis indecorum erat atque ignominiosum expuere, ut refert *Xenoph. l. 4. de expedit. Cyri.* quoniam pro certo crapulæ & repletionis agnoscebant indicio. Sic etiam vis causandi varièque alterandi ac lædendi, à reliquis Nonnaturalium speciebus, & præcipuè à serositatibus retentis in propatulo est.

X.

*Præternaturales* si inspiciamus causas; primum ducit ordinem jure meritoque *Ventriculus*, ex se & sua naturæ debilis, aut quando post chronicos morbos fermentum ventriculi est absumptum, aut p. n. acidũ quantitate & frigiditate sua caloris interni actiones impedit,

dit ac depravat, multæ inde oriuntur cruditates, ex his autem multū ſeri. *Lienis* etiam vitio affectū hunc produci, præter autoritatē Hipp. qui lienoſos Salivatores, Sputatoresque vocat, ſatis probat *Sennert. l. 1. Inſt. Maj. part. 2. c. 7.* cum quo conſentit nunquam non honorifica mentione nominandus *Dn. D. Metzger. in accuratiſſ. Diſput. de Uſ. Lien.* poſtquam enim veritati Lienisque ſtructuræ congruum eſſe, ut ad facilem elutriationem in ſolitis naturæ emunctoriis celebrandam, ſanguinem ſive ſubſtantiæ proprietate alterando, ſive peculiari imprægnando fermento diſponat, ſtatuit, de actione ejus læſa hiſce verbis, l. c. p. ultima conqueritur, Cum nullum ſit aut ſubſtitui poſſit in corpore viſcus, quod Lienis ſubire vices norit, nec retrimenta Sanguinis Lienis virtute domita, aliorum viſcerum monita audiant, ſequanturque, alimentari relicta maſſæ, toti corporis Oeconomiæ ruinam minantur, nihilque non turbarum inferunt; caput habet quod doleat, cor, quod palpitet, artus, quo trepident, cutis quod ſudet, os, quod expuat, reliquæque pariter ſanguinis partes affluxu indigæ, abunde, quo de conquerantur, inveniunt. Multo minus extra culpam videntur eſſe *renes*, ſerum in corpore copioſum debiliter ſeparando; ut & *Pancreatis*, cæterorumque ſanguificationis viſcerum, & reliqui etiam corporis habitus, in materiæ ſeroſæ ſibi debitæ ſeparatione, ſegnities, de quibus hic prolixius tractare paginæ vetat anguſtia. Infantibus quoq; ſub dentitionis tempore commune ſolet eſſe iſtud Salivæ profluvium, non ſolum ob calorem & dolorem, hincque dependentem partis debilitatem, quam quod forte inter erumpendum vaſa quædam, & illa quidem exigua & minora, quæ oculatiſſimus Steno inter dentes in gingivis collocat, disrupta fuerint atque dilacerata, unde Salivæ exundantis origo; Nec non ob læſionem vaſorum ſupradictorum per inciſionem, dum frenulum linguæ incidere conantur, aberrantesque vaſa ſimul lædunt Salivalia Chirurgi, cujus exemplum ex *Riol. 4. Anthropol. 10.* adductum vid. *in diſput. ſupr. cit. de circ. ſang. mot.* aut in dentibus evellendis gingivarum carnem ope cultelli removent; vel in extractione illorum illa rumpunt.

XI.

Huc denique facit ejusdem *humoris retentio* in organis evacuationi deſtinatis, ſecundum *Sennert. l. 1. Prax. part. 2. de catarrh.*

*tarrh. & Sylv. in Prax. Med. p. 580.* Uti ſunt; ſudoris ac urinæ ſuppreſſio, excretio imminuta menſium, hæmorrhoidum fluxus imminutus, ſuppreſſus, alvus ſicca, ut & venarum, vaſorumque Lymphaticorum, aliquid ſeri reducentium, obſtructio. Quibus addimus etiam, quod absque præexiſtentia ſuperflui alicujus in toto humoris, ſola debita illius copia, à cauſis proximè allatis & afferendis. p. n. effundi, atque ſic ptyaliſmum excitare queat, eumque non moleſtum duntaxat, ſed & privativè, ab exhauſtu videlicet, noxium. Sæpe inſuper diutius retenta & corrupta, aliaque p. n. admixta Salivam quoque adulterant.

XII.

Materiam hoc modo generatam, collectamque, ad os, tanquam terminum ad quem propellunt, 1. *commoventes cauſæ*, quarum aliæ id agunt per ſe, aliæ per accidens. Sunt autẽ illæ vel internæ, vel externæ. Ad iſtas referimus ipſam animam motrice facultate ſua inſtructam, ut & organis idoneis, ſpiritibus caloreque debito armatam, id quod officium organicum, cordi imprimis ac arteriis deferimus, utpote quæ impulſu propulſuque ſuo ſeroſum ſanguinem ad glanduloſas & ſalivales illas oris oras largius transmittunt, reliqua quoque viſcera ac vaſa circulationis ope, quod nemo facile ſaniorum Medicorum negabit, in operis hujus trahunt conſortium, ab his namque, quicquid cor communicat, antea accepit. Inter externas ea numeramus, quæ ſupra §. 8. 9. quatenus vi movendi pollent, continentur.

XIII.

His ſuccedit 2. *diſpoſitio Subjecti* tam univerſalis, quam particularis, ad motum adjuvandum calida, & ad materiam transmittendam in arteriis, ductibusque aliis magis pervia ac libera, tum deniq; in glandulis ſtomaticis, ceu recipientibus, poroſa. Requiritur inſuper ipſius humoris transmittendi mobilitas, quam arterioſi ſeroſique ſanguinis tenuitas, ſubtilitas & ſpirituoſitas, ſive volatilitas, ut cum Chemicis loquar, ſalina & ſulfurea promptè conciliant. Serum enim ad quamcunque, bilioſi præſertim ſanguinis effervescentiam unà ebullire, ac ſæpius Orgaſmo quodam efferum ac effrænatum, ſpontè ſua ſurſum deorſumque debacchari rationibus & exemplis comprobant *Carol. Piſo de Colluv. Seroſ. & Sennert. l. 1. Prax. part. 2. c. 34. de catarrh.* nec non *Excell. Dominus Præſes, Præceptor*

ac

*ac Fautor meus, omni observantia honorisque cultu prosequendus, in Disput. Inaug. de Catarrh. Suffoc. p. 14.*

XIV.

Ut autem massa sanguinea *ab extra* etiam motum concipiat p. n. adeoque humores serosi attenuentur, adque os propellantur, faciunt huc, ut clariùs explicem, æstus, radii solares, & omninò aër calidus, ob quem tempore Verno catarrhi sunt frequentes, non quod humores per hyemem in capite collecti, aëre calidiore, magnâ cum mole resolvantur ac diffluant; Quis enim tantam seri copiam, quæ Verno tempore sæpius per Salivationem evacuatur, sine maximo vitæ periculo tamdiu in capite subsistere posse crederet? Sed fit hoc ideo, quia non solum tempore vernali secundum *Willis. tr. de febr. p. 135.* massa sanguinea non secus ac succi vegetabilium, spontè quasi sua magis fermentare ac efflorescere incipit, sed quoque atomi igneæ per inspirationem cutisque poros corpus ingressæ, eam adaugent; Calor itidem hoc facit hypocausti, balnei, frictiones intempestivæ capitis cum pannis calidis, unde major sanguinis, & per consequens seri ad caput affluxus; coopertura ejusdem nimia, Medicamenta calida & acria, Apophlegmatizonta Medicis dicta, qualia sunt salvia, Pyrethrum, majorana, cubebæ &c. præsertim verò ex Mercurio præparata; ut & mora sub radiis lunaribus. Luna enim præ cæteris astris naturam adepta est, atque dotem, ut humorem non duntaxat elementarem, sed nitrosa salinaque corpora mixtorum, tam inanimatorum, quam vegetabilium, sensitivorumque potissimùm alteret, & id quidem vehementius, quanto luminaria locis tam oppositionis quam conjunctionis viciniora fuerint, quod dilucidè demonstrat *Excellentissimus Dn. Præses in Disput. Inaug. supr. cit. pag. 11.* pulcherrimisque exemplis & experimentis illustrat *Kircherus in Mund. Subterr. Tom. 1. f. 131.*

XV.

Causas hasce adjuvant demum *per accidens* mora in regione frigida, & aquilonaris aëris constitutio, tempusque hybernum, dum retentis vaporibus & fuliginibus in corpore massa sanguinea magis incalescit, effervescit, ipsumque serum copiosius ad glandulas amandatur oris, ut & motus animi & corporis vehementes.

XVI.

Supereſt jam ut poſt harum cauſarum ſeriem, ad ipſum quoque *expuitionis Salivalis actum*, ejusque cauſas progrediamnr. Breviter autem quicquid ſupra theſ. V. de naturali expuitione dictum eſt, id huc quoque ea lege quadrat, quatenus Saliva motu moleque p. n. auctiore ac frequentiore, in oris alveum jam effuſa, his, aliisque vitiis ſuis guſtum tactumque lædendo, Salivatores moleſtiæ illius impatientes, ad crebro expellendum impellit atque fatigat.

XVII.

Ptyaliſmum à cauſis hiſce jam productum, juſtoque diutius affligentem, varii interdum, prout nimirum humor Salivalis nunc nimis copioſus, vel alienæ Subſtantiæ, qualitatisvè particulis, acidis, auſteris, Mercurialibus, aliisque ſexcentis eſt refertus; varii interdum conſequuntur p. n. *effectus & affectus*, variosque cudere novit morbos; Aphthas ſc. dentium vacillationes, oris exulcerationes, ut & dolores ac tumores partium vicinarum; Imò etiam per accidens, juxta *Th. Bartholin. in Spicileg. de vaſ. Lymph. p. 115. & 116.* morbi non leves, videlicet macies ob exhauſtum, alvusque ſicca excretionem ſequuntur copioſam.

XVIII.

Effectum Ptyaliſmi ejus excipiunt *Differentiæ*, ſuntque hæ pro varietate rerum à quibus denominantur variæ. Termini à quo reſpectu Ptyaliſmus alius dicitur univerſalis, alius particularis, mittit enim nunc totum corpus, nunc partes; Cauſæ ratione exquiſitus à ſolo ſero, ſpurius ab admixtis aliis vel ſubſtantia vel qualitate peccantibus. Ratione moris alius eſt benignus, alius malignus. Sporadicus alius vel Epidemicus, habito ad tempus reſpectu, qualis fuit ille, cujus ſupra ex Foreſto & Benedicto Veronenſi mentio facta fuit. Morborum denique vi à quibus dependet ac cauſarum, Scorbuticus, Melancholicus aut Mercurialis vocatur; & ſi quæ aliæ à modo læſionis, ætate, ſexu, aliisque accidentibus oriundæ ſunt differentiæ, quas brevitatis ſtudio conſultò omittimus.

XIX.

*Semiotica* nunc ſuccedit applicatio, ubi 1. *Diagnoſticè* Ptyaliſmum ſi conſideramus, ut cognoſcatur ſignis opus non habet, malum enim per ſe notum eſt, quique hoc laborant, coguntur ſine

tuſſi

tuſſi & exſcreatione, ob ſalivam copioſius ad os affluentem expuere, hocque modo diſtinguitur, à Salivatione impropriè ſic dicta, quæ eſt humorum pituitoſorum, aliorumque ex pulmonibus ac bronchiis ad os delatorum, cum tuſſi excretio. A toto corpore materiam Ptyaliſmo ſuppeditari, indicium eſt, ſi febris adſit, cum cujus paroxyſmo augetur vel imminuitur, vel alius, cujus Symptoma hoc analogum eſt, in toto morbus. A parte verò aliquando ſuppeditari, ejusdem præſens aut prægreſſa p. n. ex propriis ſignis hauſta, conſtitutio indicat; exquiſita an ſpuria ſit, ex Salivæ ſapore, colore, aliisque qualitatibus innoteſcit. Benigna, an maligna ſit Salivatio, colligitur, ex modo læſionis humorum, hincque dependentibus Symptomatis; benigna enim cum eſt, præter humorem copia lædentem nullum aliud metuendum adeſt Symptoma; in maligna verò concurrunt oris, ejusque partium eroſio, dentium vacillatio, caſus, animi deliquium, aut ſumma cordis anguſtia. Scorbutica denique, an Hypochondriaca vel Mercurialis ſit, ex ſignis horum morborum ac cauſarum concurrentibus pathognomonicis, cauſisque prægreſſis eruendum venit.

XX.

*Prognoſin* quod attinet, gravior nunc, ac periculoſior, nunc tutior leviorque eſt Salivatio, prout à morbo, aut cauſis levioribus vel gravioribus, benignis aut malignis, externis vel internis, cum vel ſine vaſorum læſione ptyaliſmum inducentibus, dependet; adeoque nunc facilius, nunc difficilius, nunc breviori, nunc longiori tempore curatur; Si verò diutius duret, morbi illi, quorum ſupra inter effectus mentio facta fuit, expectandi manent.

XXI.

Perſpectis jam Theoricis, horum *ad Practicum Scopum applicationem*, pari curâ ut attexamus, ordo tractationis requirit. Quamvis igitur Ptyaliſmus tanquam Symptoma conſideratus, inutilem nobis ac impropriè ſic dictam, præbeat Indicationem, nihilominus tamen ſano quodam ſenſu ad veram Indicationem ſe reduci patitur, eandemque ferè cum catarrhis expoſcit curationem. Quare totus *curationis Therapeuticæ* Scopus ad cauſas in actu poſitas, ad mobile nimirum & ad movens, nec non ad partem affe-

ctam & noxas ipsi impressas, aliosque ad morbos hinc dependentes, erit dirigendus.

XXII.

Et 1. quidem ipsum *mobile*, seu salivalis humor, quocunque etiam modo, præter motum, peccans ac lædens, subjectivè sui è corpore eductionem indicat. Sic enim sublato nocivorum accidentium Subjecto, eadem ipsa quoque tolli, uno quasi ictu necesse est. Seorsim vero, si in reliquiis qualitatis cujusdam vitium inhæserit, id alterantibus corrigendum, abolendumque venit. In specie si acres & salsi, mitigandi; si maligni, domandi; & quæ alia qualitatis vitia concurrere queunt, quæ singula suis contrariis expugnanda sunt. Abstinendum autem erit à vacuatione, si ptyalismus fuerit Criticus, aut jam diu duraverit; si materia ejus in toto non copiosa, nec aliis modis p. n. & cacochymica, sed à causis aliis commota duntaxat ac profusa fuerit.

XXIII.

*Moventes* autem *Causæ*, & quidem serum Salivale quatenus mobile, sive utile, sive inutile, habito partium mittentium ac deferentium respectu, revellentia, derivantia, vel ritè sistentia; partes verò alterando & corrigendo sedantia quoque, indicant.

XXIV.

*Pars* denique *affecta*, glandulæ nimirum, ductusque Salivales, si vitio aliquo ad segregationem & effluxionem indebitam cooperante laborent, huic quidem in specie occurrendum, illis autem corroboratione satisfaciendum est. Nec tandem *affectuum effectuumque* Salivationem sequentium est obliviscendum.

XXV.

His ritè debitoque modo peractis ad *prophylacticam curam* nos accingentes, Causas 1. Serum Salivale in corpore copiosius generantes, retinentes ac colligentes, viscera nempe affecta, debitis remediis curare nitamur. Quare ventriculus, lien, renes, pancreas, cæteraque viscera, si vel ritè præparando, separando, excernendo &c. officio suo non satisfecerint, serumque plus justo cumulaverint, eadem correcta, corroborata, sibique restituta, in regiam muneris sui viam revocanda sunt. Externas autem 2. quas procatarcticas vocant causas quod attinet, Diætæ potissimum beneficio

è medio

è medio illas tollere oportet. Quæ etiam sola interdum, si affe-ctus levior, aut ex solo sex rerum Nonnaturalium abusu aliquo ex-ortus fuerit, pro integra curatione sufficere potest.

XXVI.

His autem scopis satisfacturi, materiam Indicatorum ex tri-bus fontibus, Chirurgico, Pharmaceutico ac Diætetico haustam paucis subjungimus. Et 1. quidem ex fonte *Chirurgico* generosum sese remedium illud, Venæ sectio nimirum sistit. Ptyalismus nam-que sicut Leucophlegmatia, juxta *Galen. in l. 4. de vict. acut. comm. 3.* & adstipulante judiciosissimo *Ant. Ponce Santa Cruz. de imped. magnor. auxilior. l. 3. c. 5. de supernatant. serosâ*, in princi-pio eget interdum sanguinis detractione, quando scil. ex retentio-ne, vel hæmorrhoidum vel muliebrium, vel ex quapiam, si ita ple-thorica sit, causa, inceperit. Unde satis superque liquet, tam E-vacuatoriam, quam revulsoriam phlebotomiam, ejusmodi in causis & casibus emolumento haud exiguo fore. Cui tamen in virium debilitate cucurbitas sacrificatas, ut & hirudines substituimus. Nec laude suâ destituuntur, in parotidum, genarumque præsertim tu-moribus, vesicatoria pone aures applicanda, ut & frictiones blandæ linteis fumigatis retrorsum ac tergotenus sæpè tractis. Maximè etiam arridet illud, quod *Fr. Sylvius l. 1. Prax. c. 49.* sua-det: Nil utilius, inquit, est tumoribus glandularum curandis, medi-camentis Sale volatili abundantibus, pro tumorum diversitate, cum aliis tepide contemperatis & mixtis, aut forinsecus applicatis, aut internè usurpatis. Hinc est quod tam utile in glandularum affe-ctibus, unguentum Martiatum dictum, tot aromaticis constans, cui proximum altheæ compositum, & à galbano hederæque gummi ef-ficacius redditum. Quibus præservationis loco cauteria, fonticu-lique administrati, magno ægri cum emulento, conjungi possunt.

XXVII.

*Pharmacia* porrò 1. nobis suppeditat purgantia phlegmagoga & hydragoga, qualia sunt è leniorum leviorumq; classe desumpta; Manna, Agaricus, Mechoacanna alba, Sem Cartham. Syr. & mel.

 rosat.

rosat. solut. Syr. Diaser. Andernac. Syr. de Spina Cervin. &c. Ex fortioribus verò sunt Jalappa, Gumm. Gotte præparatum. Cort. rad. Esul. præparatæ pro pauperibus, in pharmacop. Tub. prost. ut & pulv. panchymagogus Warwich. tutæ citæ ac jucundæ operationis, quoque etiam per plurimos annos, cum præcedenti felicissime in cacochymia etiam serosa usus est Parens meus p. m. cui, si fortè Diagrydium non placeret, resin. Jalappæ substitui poterit. Nec etiam citra rombum putamus esse, *Vomitoriis* quoque suum, si concederemus locum, ad stomachi præsertim, si quæ urget, saburram per os excludendam ac evacuandam, cui scopo per leniora passim obvia, dehinc verò, si opus, per fortiora hæc: Vitriolū alb. præp. Syr. Diasar. Fernel. Emet. Angel. Sal. aut Aq. Bened. Ruland. & quæ alia Chymicorum nobis suppeditant officinæ, satisfaciendum erit. Nec demum Enemata alvum promiscuè eluentia, aut etiam fortiora, imprimis revellentia, ab initio quidem, præsente primarum viarum colluvie, negligenda sunt.

## XXVIII.

Inter *Diuretica* 2. recensemus præprimis temperata, salsedinemque seri simul, si peccet, temperantia, ex consilio *Fr. Sylv. l. 1. prax. c. 51.* utpote: ocul. 69. Corall. & similia blande calcinata, Lumbric. terrest. Liquirit. Alth. Flor. Sambuc. Linar. Syr. capill. ♀ Dialth. F. & quæ fortius movent Spr. Sal. dulc. Salia simplicium, Sambuci, juniperi, urinæ, tart. Pilul. Diuret. Closlæi, apud *Schröd. pharm. Chym. l. 2. c. 73.* quibus addimus ol. Tereb. juniper. nec non fœnic. ex *A Thoner. l. 3. obs. 7.* quo felici cum successu præsenti in affectu usus est.

## XXIX.

3. *Sudoriferis* juxtaq; *alexipharmacis* si opus, præter recensita superius nonnulla, conducunt insuper juxta *Fr. Sylv. l. c. c. 49.* quæ Sale volatili constant, Card. bened. juniper. Scorzoner. C. C. Unicorn. ver. & foss. quibus etiā Ægagropilos ex commendatione peculiari Cl. V. *Georg. Hieronymi Velschii in dissert. de illis edita,* annumerare placet, illos enim eximia siccandi ac Diaphoretica sua vi Ptyalismo exhauriendo

do egregiè *p.51.* conferre testatur. & *p. 59.* ex conserva florum Salviæ cum Serapio Mastichino à gr. X. ad XX. p. 53. exhibere jubet.

XXX.

Ex humorum 4. tam *fluxilitatem* sistentibus, partiumque mittentium calcaria retundentibus, quam viarum *laxitatem* simul adstringentibus, proponimus: Papav. errat. Nymph. phantag. verbasc. ros. rubr. salv. nuc. cupress. balaust. hypocyst. lign. aloës alum. & ex quibusdam horũ præparata; Spec. Diaplantag. Essent. ejusd. Diamart. M. &c. In extremis autem; Opiata tuta, Laudana, Diacod. Croc. M. Th. Cœl. Querc. cum tantillo Laudani alicujus.

XXXI.

In Specie tandem *ad orũ partes exiccandas ac roborandas*, ex astringentibus jam citatis, ut & aliis *à Sennert. in l. 2. Prax. c. de Ptyalis.* selecta, sub forma decocti præscribi, inque ove quietè detineri queunt. Veteres interea Medicos, Ventriculum caputque, quâ affluxum accusantes, ad Ventriculi querelas Swalvianas, & ad cerebri in glandulas depluentis innocentiam, vi autopsiæ anatomicæ ablegamus, nec proinde in præsenti curam eo dirigimus. Legatur hac de re *Bernhard. Swalve de Ventriæ. querel. p. 249.*

XXXII.

*Fons* ultimò *Diæteticus* legitimo sex rerum Non-naturalium usu absolvitur; Aër sit purus, siccus, & pro diversitate causarum nunc ad calidum, nunc ad frigidum declinans. Cibi vitentur, concoctu difficiles, acres, frigidi & aquosi, multamque serosam humiditatem suppeditantes, de quibus supra mentio facta; Cœna sit parca. Potus vitetur copiosus, ut & qui facilem in massa sanguinea excitat fermentationem, cujus generis sunt liquores ex pomis, pyris, uvis recenter expressi, ut & cerevisia nondum ritè fermentata. Eligatur autem potius *ex Bened. Sylvat. Cent. II. Cons. 67.* decoct. ex Lign. Guajac. Santal. citr. lentisc. Visc. Querc. Sassafr. ut & nostrate Juniper. frax. cùm rad. Chin. Somnus sit moderatus, ut & vigiliæ, quæ etsi alias vim habeant exiccandi ac absumendi humores superfluos, si tamen plus justò durent, cruditates, hincque copiosos humores peccantes producunt. Alvus quoque semper respondeat, nec sit occlusa, in Hypochondriacis & Splenecticis præcipuè, ubi præter usitata memoratu imitatuque

dignum

dignum eſt, quod invincibilis aliàs alvi conſtipatio per globulum ex auro obrizo fuſum, confectum, deglutitum, excluſum, totiesque iterum deglutitum, in Barone quodam Fuggero, etiam cum ſubſtantiæ auri quadam jactura, feliciter ſoluta fuerit, & aliàs etiam optimè ſeſe habuerit. Quam curam à Dn. Avo meo b. m. præſcriptam, & à Dn. Parente meo etiam Cœlite, in *Panacea Hermetica. Quæſt. annex. p. 30.* annotatam invenies. Ubi notandum, quod alvino huic, alterum quoque virtutis corroboratæ beneficium, (quo etiam in tali Ptyaliſmo, ut & in illo præcipuè, de quo ſupra ex Bartholino mentio facta, opus eſt) acceſſerit. In corporis denique motu, animique pathematis aurea obſervetur mediocritas; ut enim ira effervescentiam ſanguinis inducendo humores ſeroſos fundit, adeoque ad hanc vel illam partem ruere facit; ita mœſtitia Spiritus abſumendo plurimarum in corpore cruditatum mater eſt. Atque ſic tandem noſtrum huc illuc derivatum claudimus rivulum.

*SOLI DEO SIT LAUS, GLORIA ET HONOS.*

